

11)

EREM,,

JAS PARTES DISTRIBUTA.

Catenas novimus modo nos et vincula.
t ipsi pugnis respondebant, calcibus!....
Abierunt omnes, stipatores, milites....
Primum popinas adivere proximas,
Et vino et cibis ingurgitabunt liberi.
Domum quietis hanc vocabis affatim,
Brevis quam dicebas moestitiae domum.
Deus faxit duret pulcra haec conditio!
Quid si veniret sedulus centurio?
Iova admiratus, et subridens dixerit:
Fugisse milites, expleto carcere! ».
Quid si veniret vel fortasse in cra-
[stinum?
st adnitendum prosequi vestigia....
Ihuc dum fueram summis in aedibus
debam rerum cunctas circumstan-
[tias....
abebam Castrum proprius telescopio,
eos quod proximos reddebat hospiti-
[tes,
is et ipsa verba quae labellulis
cibant, neveram, mea sententia.
d quot molestiae premunt me et lan-
[cinant!
u! vos abite visuri e specula
videantur, an adhuc sint longius....
test nemo scire quae sit turbatio
imi praesens! Cessit mensae cupi-
[ditas.
urnum, quod solet prae rerum cu-
[mulo,
nferre saepe pectori solatium,
stidiens cepi, negligenter posui.
ec est supremā pectoris vexatio,
test venire nobis nihil gravius...¹
id est?
imum numerum).



auditur rumor.

EPHUS Dr. FORNARI, Sponsor.

E - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), Bre' cia, CAIRO (in Aegypto), Canale, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gagnana, Centallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, Frascati, Frosinone, GENOVA, Grosseto, LION, LUCCA, MALTA, MILANO, Mondovi, Monsampietranello, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a) iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; c) parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.*

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a) prescriptions compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; d) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; e) exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; f) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; g) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.*

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

MONITUM

Cum hoc mensis Maii fasciculo, plurimum Sociorum annua explicit subnotatio. Dum pro certo habemus, neminem fore quin eam renovet expresse vel tacite - (consociatio enim non detrectata pro continuata habetur) - illos iterumque iterumque efflagitamus, qui nondum rationes suas nobiscum exaequaverint, ne remoren tur ulterius.

Amicis praeterea commendamus, ve- lint labori nostro Socios novos compa- rare. His extraordinariam subnota- tionem et hoc anno offerimus, quam ex speciminis gratia dicemus, libell. 4 in Italia; libell. 5 (franc. 5, doll. 1, shell. 4, peset. 5) apud exteris gentes; eritque a die subscriptionis ad mensem Decembrem MCMXIX inclusive.

Eia igitur, studiis nostris, alto con- silio respondentibus, favete!

De consensu doctorum
Ecclesiae Orientalis et Ecclesiae Latinae
in dogmate SS. Trinitatis vindicando

Vixdum Benedictus XV ad gubernacula Ecclesiae Romanae, quae « radix et matrix est Ecclesiae Catholicae », collocatur, oculos animumque convertit ad Orientis Ecclesias, tum quae cum hac Apostolica Sede, unde unitas sacerdotalis exorta est, copulantur, tum quae sese ab ipsa segregarunt; et decessorum vestigia persequutus, utrumque habuit propositum, alteras in pristinam dignitatem restituere, ad fidei unitatem alteras revocare.¹

Quam unitatem promovere plurimum valebit et illa S. Congregatio rebus Orientalibus praeposita, et Orientale Pontificium Institutum ad orientalium disciplinarum studia provehenda creatum. Lapidem et nostrum, quicumque fuerit, ad rem conferre desiderantes, opportunum duximus, temporique consentaneum - (adventat enim dies Sanctissimae Trinitati pro nobis sacra) - hodie ostendere plenum

¹ Cfr. Alloc. SS. D. N. Bened. PP. XV in sacro Consistorio habit. die 10 Martii 1919 (*Acta Apostolicae Sedis*, vol. XI, p. 98 sqq.).

utriusque Ecclesiae, Latinae scilicet et Orientalis, consensum de fundamentali SS. Trinitatis dogmate.

**

Conveniunt et Orientales et Latini in mysterio enunciando, esse *Trinitatem unius divinitatis*,¹ praedicandamque simul et *Trinitatem et monarchiam, tres scilicet personas in una substantia;*² quae formula «tres in Deo hypostases» antiquissima est, a temporibus saltem Sabellii et Noeti usitata.³ Latini tamen, quia dogma divinae unitatis potissimum tuentur contra polytheismi vel tritheismi errores, divinam naturam praesertim attendunt et ex unitate naturae vindicant personarum substancialitatem, et hinc etiam in processionibus ad intra et operationibus extrinsecus editis unitatem potius efferunt; Graeci vero magis inviolatam distinctionem et ordinem personarum extollunt; licet unitas et distinctio cum ordine ab utrisque invicte asserantur.

Duas tantum et Graeci et Latini profertur «processiones», quorum una est «generatio» in qua terminus est Filius, altera autem est a generatione prorsus distincta, cuius terminus nequaquam Filius, sed Spiritus Sanctus dici debet. Verum in modo exponendi et explicandi non nihil differunt. Graeci enim processiones ea ratione concipiunt, ut Filius sit Patris complementum in ordine perfectionis physicae, utpote eius sapientia et potentia, et, quia semper fuit sapientia et potentia Patris, semper fuerit Filius in Patre;⁴ Spi-

¹ Ita TERTULL., *Adv. Praxeian.*, II et III; P. L. II, 180, 182.

² Ita S. DIONYSIUS Papa, apud S. ATHANAS., *De decretis Nicaenae Synodi*, 29; P. G., XXV, 461.

³ Cfr. hoc de re GARNIER, *Praefatio in Epistolas S. Basillii*; P. G., XXIX, 16 ss.

⁴ Cfr. S. ATHANAS., *De decretis Nicaenae Synodi*, 26, P. G., XXV, 464; S. BASIL., *Cont. Eunom.*, lib. II, 17; P. G., XXIX, 605; S. CYRILL. ALEXANDR., *The-*

ritus autem Sanctus sit Patris complementum in ordine morali, utpote sanctitas Patris, et, quia Pater non est absque sua sanctitate, nec unquam fuerit absque Spiritu Sancto.⁵ Generationem Filii comparant quidem cum verbo nostro exterius prolati et etiam cum verbo interno, seu mentali, per modum exempli,⁶ at nondum perfecte evolvunt intrinsecam rationem ex natura intellectionis desumptam.

Hoc ergo Patribus orientalibus dandum est laudi, quod fidem optime vindicarent et solutionis elementa iam innuerint, licet nondum psychologicē explicaverint cur processio Spiritus Sancti sit alia prorsus a generatione.

Fide autem in tuto iam posita, Doctores Latini, cum Augustino,⁷ rationem propriam assignant, quam plenius tandem exponit S. Thomas;⁸ quia videlicet verbum vi ipsius intellectionis est similitudo, rei actu expressa, amor autem non est vi suae originis similis suo principio, sed potius per modum impulsus seu flaminis procedit.

**

De relationibus quoque divinis iam Graeci totam doctrinam tradunt, dum asserunt esse in divinis σχήματα. Patremque non esse nomen essentiae, sed relationem importare;⁹ recoluntque et relationem mutuam et relationis oppositiones, τῆς πρὸς ἀλληλα σχήσεως.¹⁰ Latini autem rem expli-

saur., P. G., LXXV, 14; S. J. DAMASC., *Fid. Orthod.*, lib. I, c. XIII; P. G., XCIV, 856.

¹ Cfr. S. GREG. NAZIANZ., *Ora. XXXV.*, P. G., XXXVI, 137-133; S. CYRILL. ALEXANDRIN., *Thesaur.*, 24, et *Dialog.*, VII, P. G., LXXV, 596, 1121.

² S. CYRILL. ALEXANDR., VI, P. G., LXXV, 80.

³ S. AUGUSTIN., lib. IX, *de Trinit.*, c. XII, et lib. XV, c. XXII in P. L., XLII, 977, 970 ss.

⁴ S. THOM., I p., q. 29, et IV, *Cont. Gent.*, cap. X et XI et XIX.

⁵ Cfr. S. GREGOR. NAZIANZ., *Ora. XXIX*, 16, P. G., XXXVI, 96.

⁶ S. I. DAMASC., *Fid. Orthod.*, lib. I, c. XI; P. G., XCIV, 837.

citius evolvunt, et inde iterum explicitant distinctionem et numerum personarum, quae quidem potius per origines quam per relationes constituuntur.¹¹ Quia igitur unitatem magis attendunt Latini, praeferrunt generatim formulam «ex Patre et Filio», Graeci vero potius ordinem personarum respiciunt, et idcirco eligunt formulam «ex Patre per Filium»; licet tamen utraque formula sit in utraque Ecclesia recepta.¹²

Pulcherrima est quoque orientalium doctrina de περιχώρησι, quae circulum quemdam vitalem simul et compenetracionem atque inseparabilitatem personarum innuit. Eundem conceptum ingerere videatur vox «circumcessio»; minus autem apte vox «circuminsessio». Unde potior est vox graeca, tametsi utraque theologia conveniat circa tria praecipua asserta: distinctionem scilicet personarum, unitatemque naturae, ac motum vitalem inter ipsas personas eiusdem vitae consortes.

Ceterum verum est doctores latinos doctrinam de «appropriatione»¹³ plenius evolvisse ad profundorem et uberiorem dogmatis intelligentiam, praesertim a temporibus S. Hilarii et S. Augustini.¹⁴

**

De operibus ad extra, quae exhibentur ceu toti Trinitati communia, conveniunt etiam Orientales et Latini. Sed, quia Orientales semper sunt solliciti de ordine per-

¹ Cfr. S. THOM., I p., q. 40, a. 2, et comment. in hunc locum.

² Cfr. S. CYRILL. ALEXANDRIN., *De Adorat.*, I, P. G., LXXVIII, 148; S. AUGUSTIN., *De Trin.*, lib. XV, c. XVIII; P. L., XLII, 1081.

³ Cfr. S. THOM., I, p. I, q. 39, a. 8.

⁴ S. HILAR., *De Trinit.*, lib. II, 11, 1, P. L., X, 50-51; S. AUGUSTIN., *De doctrina christiana*, lib. I, c. V, P. L., XXXIV, 21; *De Trinit.*, lib. VI, c. V, X, P. L., XLII, 931 ss; *Contr. MAXIM.*, lib. II, c. XXIII, L, XLII, 800.

sonarum servando, libentius dicunt Patrem operari per Filium et Spiritum Sanctum, sicut etiam volunt Spiritum procedere a Patre per Filium, et ex unitate operationis unitatem inferunt essentiae. Sic, iuxta S. Irenaeum, Pater omnia fecit, visibilia et invisibilia, non per angelos, sed per Filium et Spiritum Sanctum;¹⁵ et similiter, iuxta S. Basilium, est unum omnium principium, quod res efficit per Filium et perficit per Spiritum Sanctum,¹⁶ vel, ut exponit S. Cyrillus Alexandrinus, omnia sunt a Patre per Filium in Spiritu Sancto.¹⁷ S. Augustinus autem et Doctores Latini potius unitatem naturae tuentur, servato tamen ordine personarum ad invicem, et ex unitate naturae unitatem operationis defendunt.¹⁸ Hinc tandem effatum concilii Florentini: «Omniaque unum sunt ubi non obviat relationis oppositio.¹⁹

Novissime autem Leo XIII pronuntiat opera SS. Trinitatis esse indivisibilia in divisibilemque actionem divinarum personarum, sicut ipsam essentiam; quia, ut tres personae inseparabiles sunt, ita «inseparabiliter operantur».²⁰

Utraque igitur theologia, Orientalium nempe et Latinorum, licet in modo explicandi aliquatenus discrepet, in re prorsus convenit, videlicet in Deo unam esse substantiam, duas processiones, quatuor relationes, quarum tres sunt mutuo oppositae, tresque personas realiter distinctas, quarum secunda procedit a prima, tertia

¹ S. IREN., *Cont. Haeres.*, lib. I, c. XXII et lib. IV, c. XX; P. G., VII, 569, 1032.

² S. BASIL., *De Spiritu Sancto*, XVI, 38; P. G., XXXII, 136.

³ S. CYRILL. ALEXANDR., *In Ioann.*, X; P. G., LXXIV, 336.

⁴ S. AUGUSTIN., *de Trinit.*, lib. I; P. L., XLII, 824, 826, 829.

⁵ *Decret. pro Iacobitis*, DENZINGER, 703.

⁶ LEO XIII, encycl. *Divinum illud munus*, 9 Maii 1897 (cfr. LEONIS XIII Pontificis Maximi, *Acta*, t. XVII, p. 130).

vero procedit a prima et secunda vel a prima per secundam, scilicet Spiritus a Patre Filioque vel a Patre per Filium.

Utraque sane Ecclesia, Orientalis et Occidental, idem dogma credit, unumque et concordem hymnum concinit uni Deo, trino et simplici, quem «modus diligendi est sine modo diligere».¹

EDUARDUS HUGON, O. P.

¹ S. BERNARDUS, *De diligendo Deo*, c. I; P. L., CLXXXII, 974. - Qui plura cupiunt, consulere possunt opus nostrum: *Le Mystère de la Très Sainte Trinité*, Paris, Téqui, et etiam A. PALMIERI, O. S. A., *Theologia Orthodoxa dogmatica*.

CAROLUS GOUNOD.

Carolus Gounod editus est in lucem Lutetiae Parisiorum anno millesimo octingentesimo decimo octavo. Et si, anno elapsorum Galliae in pace fuissent compositae, et cives, tranquillatis animis, suorum immortalitatem, tot meritis conquisitam, iure celebrare potuissent, hunc summum numerorum cultorem, prae ceteris undique laudibus cumulassent.

Quis enim fama celebrior, quis maiore nomine ubique gentium percrebuit? Quin imo pius in primis, cum omnibus aetatis suae magistris, vel in profanis numeris, mirabiliter de principatu certavit, et pro viribus musicam cum pietate coluit. Namque, licet saeculum ad impietatem propensius potius nactus sit, divinitatis tamen sanctissimo instinctu afflatus, Carolus mentem suam, vel a pueris, ad religionis cultum inflexit, et sublimi spiritu laudes in Augustam Matrem composuit, easque docuit omnes resonare gentes. Eius enim notae, singulari quadam pietate confectae, mirum in modum, divina veluti virtute relatae, per omnem Galliam primum per volarunt; mox, Alpibus superatis, ad ulti-

mas orbis terrarum plagas pervenientes, cum Matris sanctissimae gloria, parem honorem devoto numerorum auctori op-pignorabantur.

Mirum admodum et memoratu dignissimum eius ad colendam musicam ingenium. Patris enim voluntate compulsus, ad iuris studium animum latus appellabat, at natura ad prohibitam musicam unice rapiebat.

Et improbo eius labori est referenda musicae compositio a *Fausto* appellata, primum sane atque immortale praemium, quod Gallia ante omnes, et postea terrum orbis, longe lateque admiratus, accepit ac plausibus redimivit. Ad haec, inter illos, qui Lutetiae Parisiorum summis laudibus praeclarum musicae magistrum ad sidera ferebant, ipsum patrem, omnibus ignotum, adfuisse perhibent.

Tunc, adclamantibus omnibus, publice missus est in Urbem, ut illic sub illustrum magistrorum consilio, intimius reconditam artis scientiam disceret. Sic musicae totus se dedit omnemque in ipsa se abdidit. Mirum sane, quo studio atque animi voluptate Palestrinae notis laetabatur! Id enim, qui tot miracula edidit quot opera musicalia composuit, divite ingenio praeditus, immortalis musicae sacrae vindex merito habetur.

Hic in maximo Urbis templo unice dominatur, et verum sacrae musicae decus atque ornamentum, et in praesentiarum principem locum obtinet. Magna animi ac mentis voluptate exquisitos hominis concentus probe noster intellexit, in corde abdidit, atque incredibili suavitate insignem artis deamatæ magistrum in oculis ferre coepit et persequi, et data opera, eius vestigiis admodum insistens, quam primum absolutissimum ingenii opus perfecit.

Anno eiusdem saeculi quadragesimo primo, quum iuventute adhuc floreret, in honorem Ludovici Philippi Francorum

regis, protulit musicum concentum sacro solemni ad S. Ludovici eiusdem nationis, ad normam veteris Palestrinae mirabiliter exactum. Quod opus, omnibus adprobatisimum, intelligentium suffragia retulit, ac supremum ei praemium meruit. Quo facto, in Urbe, et mox per omnes fere Europæ civitates, gratulantibus omnibus, christianaæ musicae honor Carolus Gounod appellatur, eiusque nomen per ora hominum circumfertur.

Ex hoc tempore, eius notae quem florrem, quod potius amoenissimum flumen habent! Verum, mitissimo ingenio praeditus, certus patriæ servire et in primis Deo non sibi, laetioris fortunae illecebras arti posthabuit, et qualem praestare se instituerat, talem servavit. In omnibus singulari fuit industria, pius, benignus, recti pertinax, officiosus, et vitae puriter actae hoc etiam documentum dedit, quod ad caelestia spectans, mortales honores contempsit, et semel atque iterum ad Fratres dominicianos convolavit.

Romae ea tempestate adscribitur in coenobio ad Minervam, admittente potissimum Carolo Lacordaire, praeclaro illo Praedicatorum decore, qui primus in sacra eloquentia habitus, ingenii magnitudine et singulare facilitate nunc Paulum referebat, nunc Ioannem Chrysostomum, remque Christianam in Gallia auxit et firmavit. Nescio autem quo lamentabili casu, magnotamen animi moerore, e religiosa familia aegerrime atque moestissimus discessit.

Ad pietatis opera naturaliter inhians, alumnus quoque fuit sacrorum; at breviter, sui ipsius pertaesus, ab incepto digressus est. Hanc vero ingenii inconstantiam cum mira admodum morum castitate coniunxit. A theatro in posterum abstinent, ad Deum laudandum impigre se convertit, atque ad patriam decorandam. Celebres usque erunt atque immortalitate digni, et magnis hominum laudibus, concentus, quos sacro solemni composuit. Graves

patriae casus fortiter passus, cives triumphos de hostibus relatuos praesagiens, nonnulla verba, de sacris voluminibus excepta, exquisitissimis numeris aptavit. Haec vocari voluit: *Redemptio! Mors et vita!*

Prae ceteris insuper, factiosis rem publicam obtinentibus, patriae aegritudinem solemniter doluit, eiusque hymnus, qui *Gallia* vocatur, maximo plausu acceptus, suorum gloriam auspicatus, finem vitae nunciavit.

Omnibus enim flebilis, placidissime, sacris religionibus recreatus, septuagenario maior Parisiis paulo post, anno scilicet MDCCXCIII, diem obiit supremum.

I. B. FRANCESIA.

De cultu atque humanitate latina

Sermo inter aliquot castrorum principis praepositos, et Europaeum quemdam paganum, in Gallia habitus.

Illa nocte, idibus Februariis, quum splendentem ante focum consedissent, data a tribuno principiorum magistro loquendi facultate, sic est orsus Europaeus:

«Indutiarum otia, milites humanissimi, et eas animi vires, quibus bellum perfectis, quoniam ad cognoscendos mores ac civitates Europæ decretivis adhibere, quum quid universaliter cultus atque humanitas, tum cuius generis hisce terrarum partibus et nominis sit, inquire videtur haud alienum. Ut enim agri, ita coetus atque urbes coluntur hominum, et sicut silvestres cultione mitescunt plantae ac perficiuntur, cultura non aliter nationes et populi. Quare hos pueri versus audivimus:

*Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,
Si modo culturæ patienter commonet aurem.*

De qua cultura insuper:

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Verum plura sunt colenda humanitatis genera, ut hic legioni ac principiis praefectus vidiit, ab insulis Philippinis iter quum per Iaponenses et Sinas faceret. Illic enim non vocis sonos auditui, sed oculis species animi litterarum notantur elementis. Siderum illic alia signa, et aliis describitur per lunam annus. Alia illic imperia, iura, moresque et artes. Arabum porro aliam, iisdem rationibus, et Indorum demonstratur aliam esse culturam. Sed gentes apud Europaeas et Americanas quoque omnes, cultum ubique habemus eundem. Quod si quis infinitatus, plures dixerit esse in Europa culturas: Anglicam scilicet, Germanicam, Gallicam, Hispanicam, Graecam, Italicamque; tres aut duas minimum, oportet ut videat in Helvetia, quem prorsus Helveticorum una refellit et coarguit res publica. Huic autem distincto ac seiuncto ab Arabibus, Indisque et Sinis, christianarum gentium generi, latino cur sit nomen, nunc dicam».

Legioni cuidam praefectus: « Anglo-saxones itaque Latinis annumeratas? ».

Europaeus: « Sunt equidem litteris, artibus, institutis. Sacra et profana, apud Anglo-saxones et ceteros Europaeos Americanosque, una sunt latina. Eadem enim affirmant, eadem negant, dubitant; una universis caelestium et terrestrium descriptio; latina elementa; Julianus annus; ius Romanum (si quidem auctum); Romana domi militiaeque disciplina; comitia, curiae, Washingtonianum *Capitolium*; universitates magistrorum et discipulorum latinae: ergo latina cultu atque humanitate sunt utraque Oceani littora. Sed cur non haec potius Europa esse appelletur humanitas? Quia ex Asia Troiana est stirps eius, nec fines eius sunt Europaei, quae totum orbem excoluit.

Ex Asia ortae sunt magnae omnes discipline. Punica esse litterarum elementa, ipsis nominibus *alpha*, *beta* declaratur. Punica navigatio:

*Quid referam, ut vastum prospectet turribus aequor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros?*

Tyrius luxus; tyrius Hiram, Salomonis architectus. Tyria cum Indis, et cum Britannorum feracibus plumbo albo insulis commercia Carthaginenses stratae lapide viae. Aes signatum Croeso vicinum. Chaldaeus orbis signifer, et in partes trecentas sexaginta divisus. Aegyptia geometria. Cognita antiquitus ab Indis, allataque per Arabes, illa numerorum, qua incommodus obsolevit abacus, vacuo (*sunian* Brachmanae vocant, *siphron* Arabes), et novem figuris notatio. Ex Asia denique sacrae et profanae litterae: Homerus, Moyses et Christus. Aegyptius Cecrops Athenarum, et Danaus conditor Argorum; Thebarum phoeniceus Cadmus; phrygius, qui dedit Peloponneso nomen: quid mirum si sit *dardania Roma*?

Trojanos enim satis constat, cremata patria profugos in Italiam, duce Aenea, venisse, oppidum in Laurente agro cum aboriginibus, quorum rex Latinus filiam suam Laviniam Aeneae in matrimonio dederat, Lavinium condidisse, et latinam gentem ibi Asiae genuisse Europaeque connubiis».

Tunc, quum principiorum surrexisset magister, ad voces aethere reddendas, facta paullisper intermissione, prompsit Europaeus chartam. Deinde pergens: « Autorem habemus, - inquit, - Titum Livium, libro primo historiarum, qui contra ab origines Trojanosque mota esse a Rutulis et Etruscis socia arma narrans, his verbis prosequitur: « Aeneas, adversus tanti belli terrem ut animos aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem iure solum, sed etiam nomine, omnes essent, *Latinos utramque gentem appellavit* ».

Latinam ergo conditor Aeneas ipse vocavit novam, quam semine troiano se rebathumanitatem. Cultum enim troianum secum asportaverat, quem in agreste Latium inferret.

Vergilius in secundo *Aeneidos*:

Tu genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.

Sacra vero illa sunt tradita divinitus arcana, quorum expers nulla unquam nota est humanitas. Illud est *granum si-*

napis, quod crevit, et factum est in arborem magnam.¹ Mille deinde et multos post annos, venit cum Apostolis fermentum, quod abscondit Roma, donec fermentaretur totum hominum genus.

At factum fabulantur heroem Aeneam? Nimirum et Christophorus ille, qui trans Oceanum vexit Christum in Americam, Columbus, avis commentitia videtur! Facile semper erit, annorum post millia, recusare abolita vetustate monumenta, et negare Pennsylvaniam olim Philadelphiamque, fuisse a Penna britanno conditam. Verum tamen graecae linguae aeolicae, qua sunt in Asia antiquitus locuti, cum sermone latino propinquitas, troianam originem argumentis etiam novis vindicat.

Magnae res videlicet initii crescent parvis et in propatulo latentibus. Idem enim vapor, ludicra quo alexandrinae agitaverunt aeolipylae, nave nunc in una, plus, quam centum millia remigum, operis efficit. Usus autem ille ignis aetherei, urbes illustrantis, artificiorum moventis instrumenta, ultra Oceanum litteris extemplo micantis, olim elicitis per succinum panno frictum floccis incepit, et volatili postea vexillo, in nubem quod misit Franklinus, capite marmoreo cum hoc versu donatus a Gallis:

Eripuit caelo fulmen, sceptrumque tyrannis.

Usque adeo mensuratis corporibus expertes mensurae praestant animi virtutes! Est ea de causa ratio *mathematica* docendi, quae motus ac vires numerat, ponderat, metiturque, deterior est quam haec nostra Latinorum *disciplina*, quae numero carentis animae sapienter componit mores.

Vindicta hactenus humanitatis latinae troiana origine, cultores nunc eius ac nostro aeo servatores auctoresque consideremus, quos ante omnes, alter veluti Aeneas, Carolus merito cognomine magnus antecedit, imperator Romanorum anno octingentesimo factus, de quo coronato his verbis Annales referunt Einhardi: « Ipse

autem cum die sacratissima natalis Domini ad missarum solemnia celebranda basilicam beati Petri apostoli fuisset ingressus, et coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, adstiteret, Leo papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo adclamante: *Karolo Augusto, a Deo coronato magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et Victoria!* »

De cuius eloquentia latina testem habemus eudem Einhardum, in Vita Karoli Magni: « Erat - sic ille - eloquentia copiosus et exuberans, poteratque, quidquid vellet, apertissime exprimere. Nec patro tantum sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendi operam impendit; in quibus *latinam ita didicit, ut aequa illa ac patria lingua orare sit solitus* ».

Publica autem eius opera: legis capitula, administratio imperii, missi dominici, legationes cum totius orbis ea tempestate noti regibus ac gentibus, pons apud Mogontiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis, schola Palatina, futurarum Parisiis et Ticini universitatum semina, dona Metropolitanis civitatibus xx nominatim testamento legata, sunt ea latinae culturae exempla. Quamobrem si rex quoque Francorum suo tempore fuit, nunc defuncto eius sermone patrio - quotum enim quemque francum inveniretis, qui nomina mensibus ab ipso imposita intelligat, Ianuarium *Wintermanoth*, Februarium *Hornung*, Martium *Lentinmanoth*, Aprilium *Ostarmanoth*, Maium *Winne manoth*, Iunium *Brachmanoth*? ... Sator imprimis latinus exstat.

Ad magistrum deinde properemus totius Parisiacae universitatis clarissimum, post annos plures quam sexcentos, etiam nunc versatis villicarum manu libellis proximo habitum, S. Thomae Aquinatis praecoptorem, Albertum dico, Agrippinensi Colonia ortum. Is plures quam qui continentur ulla aedibus, in foro ab eius nomine *place Maubert* adhuc dicto, latine iuxta Sequanam docuit.

Et illi latine docuere restitutores: elegantiarum apud Septentrionales Erasmus,

¹ Luc., XIII.

rerum caelestium apud universos, Copernicus: libris *De revolutionibus orbium caelestium*; tum rerum naturae quasi mētator, statuens *Philosophiae naturalis principia mathematica*, Newtonus; postremo ordinator nomenclatorque generum Linnaeus, qui *Systema naturae* multis praeclaris libris proposuit.

Quod si inter Arabes Avicenna, in Persia licet, et in Hispania natus Averroes, recensentur, arabice quoniam severunt verbum, ita Latini sunt omnes recentioris humanitatis patres, unde quaque orti ».

— « At profecti ab his plerisque, patrio sermone contenti, latinitatem neglexeremus ... ».

— « Id etiam si dolemus, concedimus. Verum, ut variis quum sit materiis multiplicatum artificis opus, statua videlicet modo marmorea, nunc ex gypso, fictilis aut aenea, haud ideo opus factum est aliud, sic in multas linguarum materias conversa, immortalis formam atque ingenium suum servat latinitas. Namque germanicae cuiusvis linguae grammatica figura, tum ordinatio, stilus, denique cogitatio, ad imaginem latinam diuturna et assidua conformata sunt imitatione. Longfellow's Evangelinam adspicie, ut traiecta ipsa sit in Americam Dido, Vergilianis versibus anglica excusis materia! Iamque ex Sinenibus Latini fiunt et Iaponenses, ex quo a navarcho classi americanae praeposito Peary, annis 1853-54, sunt ad communem totius orbis humanitatem invitati ».

Eatenus continua oratione Europaei facta, subsecivum ortum est breve colloquium, et quum potio calida adversus gallicam hiemem allata esset, in nocturnam quietem dimissa est contio.

Tornoduri in Gallia.

IACOBUS TASSET.

*Dicimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitae,
Nec iactare iugum vita didicere magistra.*

IUVENTALIS, Satyr. XIII.

FLORALIA

Italia, quae olim a poëtis modo salutabatur magna parens frugum, et celebris virorum genitrix ab atavis, maxime religione actis in Deos, et festa instituit, quae *floralia* advocari voluit. Etiamsi vero singulis mensibus haec celebrari copta essent, principem tamen sibi locum illa obtinuerunt, quae, exeunte mense Aprili, fierent, ut lemures averruncarentur, qui campos vineasque molestare credebantur.

Haec sacra *ad placandum* appellabantur. Tunc enim undique florum suavitatis, miraque omnium generum varietas atque multitudo. Quin imo, quum florum cultus pervulgaretur, et Romani, more suo, religiosiores essent, Floram quoque sibi fortunatam inter caelites adnumerarunt, in cuius honorem et templum apud Circum Maximum, in editiore monte Quirinali, devote erexerunt.

Roma igitur eo tempore, floribus undique exornata, qui nullo veluti poscente sed sua sponte crescerent, per tres et quatuor dies hanc novam deam sacris ceraemoniis ac solemnis, innumera civium multitudine celebrabat, atque Florae imaginem florea corona redimiebat.

Quum ipsa iura iam gentibus daret, et res romana apud omnes populos formidolosa existeret, illis diebus matronae in Urbe, deposita omni personae dignitate, ob quam undique maxime laudarentur, passis crinibus, incomptis vestibus, huc illuc per urbem liberrime cursitantes, flores plenis manibus effundebant. Dictabant enim quasi eiulantes: « Breviter ut flores transit mortalium aetas! Mane ipsi maxima pompa in calamis surgunt, ad vesperum humi miserrime decadunt. Labitur occulte fallitque volubilis aetas! Faciamus itaque ut vita sit nostra pulchrior ac beatior! Coronemur rosis, cras enim moriemur ».

Imperante autem Augusto, quum Roma iam populos legibus regeret, atque e Vergili sententia, ipsa *in foribus* egregie exculpere censeret:

*Et duo raptā manū diverso ex hoste tropaea,
Bisque triumphatas utroque ab littore gentes,*

lenibus iam moribus ac commodioribus indulgens, floribus se tota coronabat, ut ita vitam, quae nimis rapide currit, beatitudinem redderet. *Carpe diem* praedicat; fac ut diutissime vivas! Nil magis enim Romanos tum territat, nil magis vexat, quam mortis imago. Et ipse numerus decimus septimus qui casu litteris, mirum in modum dispositis, e vocabulo *vixi* (xvii) componitur, illos olim gentium dominos monebat, tempus irreparabile fugere atque mortem adesse. Qui vero numerus, ut apud alias gentes decimus tertius, mulierum mentes et nostra aetate molestat atque torquet.

Atque adeo alii alio modo floribus utuntur.

Constat enim apud omnes, quomodo beatores, qui se se nimiis cibis vinoque ingurgitarent, ad ebrietatem potissimum repellendam floribus se diversis confidentius coronarent.

« *Huc vina et unguenta*, ait Horatius, et *nimirum breves Flores amoena ferre iube rosae!* ». Alio carmine dicit:

*Subalta vel platano, vel hac
Pinu iacentes sic temere, et rosa
Canos odorati capillos
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti...*

At exeamus ex hoc foetido corruptionis coeno, ac paullo maiora canamus.

* *

Advenientibus enim saeculis novis, quibus Vergilius, inconscius equidem, praeclararam quamdam Virginem est divinitus auspicatus, quae cuncta instauraret, novum quoque cultum sibi flores compararunt. Nam Roma iterum apparuit virtutum ma-

gistra, et Christianae religionis exemplar subito eluxit. Illo quoque tempore ex eius auctoritate, ad hominum solatium, *flores apparuerunt in terra nostra*, et quos antiqui in ditiorum unice commoditatem antea aptabant, ipsa, divino consilio afflata, veterum morem sequuta, in pietatis signum atque decorem mirabiliter convertit. Et Virgo, quae passim a prophetis *Rosa Jericchuntina* mire appellabatur, salutata est in primis uti novarum rerum dux atque consilium.

Omnis enim neque inanem florum vocem auscultant. Quam iuvat et gravem sanctum Augustinum confitentem audire, flores ipsum amare, eorumque sermonem accipere, qui perpetuis monitis ad virtutem excolendam fortiter et suaviter eum impellant!

Alii autem alias virtutes praedican. Sed omnia cooperantur in bonum: et universa florum laetantium familia, una eademque voce, mortales erudit. Prae certis autem Itali Mariam, in cuius obsequium potissimum proni, docti atque indocti, honorant eamque floribus adsidue cumulant.

Quin Dantem memorem, qui Italorum vatum agmen ad Mariam ducens, eam suaviori cultu meminit, dicens: « Pulchri floris nomen, quod a mane ad vesperum semper invoco? ».¹

Et ipsum caelum, in quo caelicolae Deum in aeternum colunt, atque fruuntur, sublimi equidem ausu atque apparatu aefabre constructum, in Mariae decus atque ornamentum, ad *Rosae* formam idem poëta esse dispositum.

Vestigiis eius insistentes, omnes nostri poëtae, qui aliqua gaudent nobilitate, Reginam caeli florumque potentem Matrem Augustam versibus decorant ac devotione honestant.

¹ *Il nome del bel fior ch'io sempre invoco
Da mane a sera...*

At prae ceteris h̄ic Romae nata est, atque hinc alta atque accepta ad omnes late orbis terrarum gentes pervagata religio, quae adeptente Maio, floribusque revirescentibus, Mariam propitiam sibi vocat ac perpetuis precibus honorat. Sic flores fragantia eius aram spargunt.

* *

Haud sum equidem nescius, hac nostra potissimum aetate nonnullos, ut mentem a mortis gravitate revovent, perperam flores ad funus decorandum nimios miroque artificio perfectos, leviter mittere; atque adeo complures italicae telluris areolae, floribus abundanter consitae, nundinas prope omnes Europae onerant atque deturpant. Alii e contrario, sancto veluti maerore perculti, ne ipsis defunctis dent flores indignabundi vetant.

Ad haec, Romae, ut fama perhibet, initium habuit illa sanctissima religio, a Maria quae nomen adepta est, auctore Philippo Nerio, divino iuventutis Romanae fulcimine atque educatore, qui ad Eius altare, omni labente Maio, nova florū pulcritudine atque nitore splendescens, numerosos adolescentulos ducebat. Is Augustam Matrem « Virginem Amabilem » appellat, nive candidorem, ut intestinis odiis ablegatis, Italorum studium in Christum Eiusque Vicarium incenderet. Eam Rosam nullis sordibus inquinatam precatur, ut

iuuentutem praesertim submoveret ab immunditiis teturum odium spirantibus.

Salve, magna parens, salve, Itala tellus! Et flores, quibus omnes fere tuae civitates ditescunt, in tuorum sanctorum festis, reviviscant, et profuse manibusque plenis in

Philumena V. et M.'

*PAX TECUM: scripsit pressa Te voce salutans,
Qui, Philumena, Tuas condidit exuvias.
Nunc vox illa tonat, totum reboansque per orbem:
PAX TECUM recinit, PAX, Philumena, Tibi;
Mugnanumque addit, nomenque ad sidera tollit,
Et catacumbam addit Te, Philumena, duce.
Ast mihi cor trepidat: moles heu! quanta malorum
Huic saeculo incubuit, nec patet effugium!
Vis humana nequit tristem depellere pestem;
Mixtas cum lacrimis Tu, Philumena, preces
Eia, audi, utque Deus placetur, Tu, tua Christo
Liliaque exhibeas, exhibeasque rosas.*

JOSEPHUS BONAVENIA, S. I.

¹ Ex italico epigrammate, quod verbis datis similiter cadentibus ipse auctor ex tempore compositus.

obsequium Mariae, emituntur; et Itala soboles, ab Alpibus niveis ad fretum, arduis in rebus atque secundis, Mariam resonans,

*Florentes ferulas, et grandia lilia quassans,
studiis virtutibusque exornata, egregia
semper facinora peragat, acerrima aequa-
libus et posteris incitamenta!*

SENIOR.

Peiora iuvenes facile preecepta audiunt.

SENECA, Tragoed, II.

EX BATAVIA

Certamen poeticum hoeufftianum anni MCMXVIII.

Accepimus, et libenter edimus:

« De triginta quinque carminibus, quae ad tempus Amstelodamum fuerant perlata, sic pronuntiatum est.

Praemium aureum reportavit GIUSEPPE ALBINI, poeta carminis c. t. *Vercingetorix*.

Praeterea in volumen sumptibus legati edendum haec recipientur carmina (eo ordine quo hic enumerantur), si poëtae ANTE KALENDAS IULIAS scidularum apriendarum dederint veniam:

Mundi creator.

Pax natalicia (Huius iam nunc se poëtam professus est FRANCISCUS SOFIA ALESSIO, Radicenensis).

Lygdus ad matrem.

Epistola senis ad iuvenem.

Amstelodami, die xiv m. Aprilis, a. MCMXIX.

C. SNOUCK HURGRONJE
Ord. lit. Acad. Disc. Nederl. praeses».

Socio nostro Fr. Sofia Alessio ob novum honorem ex animo gratulamur; itemque Francisco Xav. Reuss nostro; is enim est auctor carminis: *Epistola senis ad iuvenem*, quod, pro eius humanitate, in proximo numero nos edemus. - A. R.

De typographiae sive artis impressoriae inventione additamenta.

Legi, quae nuper de typographiae artis inventione in nostro commentario edita sunt,¹ neque erit inutile, neque iniucundum, puto, si paucula de re addam, eaque, meo more, hinc inde deprompta.

¹ Cf. fasc. mens. Ianuarii MCMXIX.

Atque in primis memorare iuvat, eamdem artem a Cicerone ipso quasi praeditinatam fuisse, quum in libro *De Natura Deorum* secundo, cap. XXXVII, scripsit: « Ego non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida atque individua vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimet fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum, vel aureae vel qualeslibet, aliquo coniiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici; quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna ». Scilicet, si non valeret fortuna, valeret profecto hominis ingenium innumerabiles illas formas ita componere, ut Ennii annales redderent, qui, in papyris impressi, plurimis deinceps exemplaribus legi possent.

Fuerunt praeterea qui typographiae inventionem Sinensibus attribuerint; in his Gratias ab Horto, Mendoza, Iovius, Maffeius, Gaspar Ens. Qui vero, typorum exprimendorum rationem illi populo familiarem peculiariter describens, *chalcographiae* potius genus quidem revocare mihi videtur. Sunt haec eius verba: « Chinenes - inquit¹ - non coniungunt literas more nostro; sed in singula folia tabulam formant, quae utrinque characteres habet; quod etsi perquam laboriosum videbitur, sunt tamen in eo celeres et expediti... Solent quoque candidas literas formare in nigro, qua in re nostras antecellunt, etsi in illo concedunt. Ad hoc utuntur literis lapideis, qui non gerunt characteres universos, quo recte exprimantur in chartas, sed cum in lapide, tum in charta eundem situm habent. Id autem faciunt, humefacta in principio charta ac lapidi imposita. Quam ubi leviter, re aliqua minime dura

¹ In *Thesaurus politic.*, p. II, 40.

identidem impulerunt, sensim in typorum lacunas iungunt, dum eae partes reliqua parte sunt depressores. Tum vero chartam atramento tingunt; quod quia imliterarum non alluit, candidae illae manent».

Nec defuit qui novi inventi laudem Batavis assignaverit. Hadrianus Iunius enim in sua *Bataviae historia* (cap. XVIII) non solum id asseruit, sed Faustum, sive Fust illum, qui primus typographiae auctor passim audit, plagii, imo furti insimulavit. Ait namque: «Habitavit ante annos centum duodetriginta - scripsit Iunius historiam an. MDLXXV - Harlemi, in aedibus satis splendidis foro imminentibus e regione palatii regalis, Laurentius Ioannes, cognomento Aedituus Custosve, quod tunc optimum et honorificum munus familia eo nomine clara hereditario iure possidebat. Is forte in suburbano nemore spatiatus, coepit faginos cortices principio ad literarum typos conformare; quibus inversa ratione sigillatim chartae impressis, versiculum unum atque alterum animi gratia ducebat, nepotibus, generi sui liberis, exemplum futurum. Quod ubi feliciter successerat, coepit animo altiora agitare, primumque omnium atramenti scriptorii genus glutinosius tenaciusque, quod vulgares lituras trahere experiretur, cum genero suo Thoma Petro, qui quaternos liberos reliquit, omnes ferme Consulari dignitate functos, excogitavit; inde etiam pinaces totas figuratas additis characteribus expressit... Postea faginas formas plumbeis mutavit; has deinceps stanneas fecit, quo solidior minusque flexilis esset materia durabiliorque. Faventibus, ut fit, invento novo studiis hominum, quum nova merx, nunquam antea visa, emptores undique exciret cum uberrimo quaestu, crevit simul artis amor, crevit ministerium. Additi familiae operarum ministri, prima mali labes, quos inter Iohannes quidam, sive is (ut fert suspicio) Faustus fuerit ominoso

cognomine, hero suo infidus et infaustus, sive alius eo nomine. Is ad operas excusorias sacramento dictus, postquam artem iungendorum characterum fusilium, typorum peritiam, quaeque alia ad rem spectant, percalluisse sibi visus est, captato opportuno tempore, quo non potuit magis idoneum inveniri, ipsa nocte, quae Christi natalitiis sollemnitas est, qua cuncti promiscue lustralibus sacris operari solent, choragium omne typorum involat, instrumentorum herilium, ei artificio comparatorum, supellectilem convolat, deinde cum furto domo se proripit. Amstelodamum principio adit; inde Coloniam Agrippinam, donec Maguntiacum perventum est, ceu ad asyli aram, ubi quasi extra telorum iactum positum tuto degeret, suorumque furorum aperta officina fructum uberem meteret. Nimirum ex ea, intra vertentis anni spatium, ad annum a nato Christo MCCCCXLII, iis ipsis typis, quibus Harlemi Laurentius fuerit usus, prodiisse in lucem certum est Alexandri Galli *Doctrinale*, quae grammatica celeberrimo tunc in usu erat».

Haec sunt «quae a senibus annosis, fide dignis, et qui tradita de manu in manum, quasi ardenter taedam in decursu acceperat» olim se intellexisse Hadrianus Iunius affirmat; historia haud satis probabilis, cui nullus aliis, quod sciam, auctor suffragatur.

Certe nomine Iohannis Fusti et Petri Schaefferii opera impressa tunc temporis invenimus; quemadmodum ex pauculis quae denique hīc addimus videre est.

In fine *Officiorum Ciceronis* apud bibliothecam Electoralem Palatinam legitur:

«Praesens Marci Tullii clarissimum opus Johannes Fust Moguntinus civis, non atramento plumiali, canna neque cerea, sed arte quadam per pulchra Petri manu pueri mei effeci. Finitum anno 1465».

In fine *Decisionum Dominorum Rotae* in bibliotheca Francofurtana:

«Anno M. cccc. LXXII pridie Nonis Ianuarii, gravi labore maximisque impensis Romanam post impressionem, opus iterum emendatum, antiquarum novarumque Decisionum suis cum additionibus Dominorum de Rota, in civitate Moguntia, artis impressoriae inventrice et elimatrice prima Petr. Schaeffer de Gernsheim suis consignando scutis arte magistra, feliciter finit».

In fine *Institutionum Iuris Iustiniani* cum notis Accursii, in bibliotheca quoque Francofurtana:

«Anno Domini M. cccc. L. xxvi. x Caldend. Iun. Sanctissimo in Christo Patre ac Domino, Dom. Sixto Papa IIII. Invictissimo Domino, Domino Friderico III. Romanorum Imperatore semper Augusto, Generoso Domino Diethero de Isenburg, electo et confirmato Moguntino, in nobili urbe Maguncia Rheni, Impressoriae artis inventrice elimatriceque prima, praesens Institutionum opus praeclarum Petrus Schaeffer de Gernsheim suis consignando scutis, omnipotente favente Deo, feliciter consumavit».

Et de hisce satis.

A. FULCONIS.



EX ITALIS URBIBUS

Actuosa Taurinensis vita.

In ea Urbis Taurinorum parte, quae ad Occidentem pertinet, est vicus, quem, meo iudicio, dixeris omnium frequentissimum, cui est nomen inditum: *Corsa Principe Oddone*. Hinc inde multi opifices, qui, summo mane praesertim, magna festinatione currunt atque decurrunt, improba quodammodo rerum multitudine acti. Ad haec, per medium vicum, sed editiori loco, constructa fuit, insignis humanae

velocitatis imago, via ferreis axibus munita, qua ad complures fertiles Subalpinorum regiones itur. Haec enim Insubriam petit, feraces Monferrinorum colles, vinis frugibusque clarissimos; demum Salassos, qui Augustam Praetoriam habent. Acciae vero, qui utrinque habitant, si novitate rerum primum id admirantur, deinde assiduo machinarum sibilo turbantur, et horum civitatis morum omnino eos piget taedetque. Tamdiu in civium commodum, qui vel longe operibus incumbunt, sunt quoque aptissimae rhedae, alacres convenientesque, vi electrica traductae, quae suis perpetuis tintinnabulis rotarumque rumore, iugem strepitum crient itemque gentium multitudinem ad utilitatem uniuersique advocant.

Mirum spectaculum! Qui hominum motus! Quae civium alacritas ac velocitas! Nemo vero, vel tenui valetudine vir, commodati studet, aut personae dignitatem obtinere praesumit. Unum quisque sibi postulat, unum sibi ominatur: ut quam celerrime ad rem suam pervenire possit.

Hic est advocatus, quem maxima Curia manet, et ne serius omnino adveniat aegerime timet.

Hic adest opifex, hic puella operaria, qui maxima festinatione ad officinam adcurrunt. Vox enim *sirenis*, quam appellant, continuo in auribus sibilat, et moleste eos agit atque stimulat. Namque si vel tantillum morantur, graviter taxantur ac premuntur scelestae.

Quae singularis personarum confusio! Hic est quoque gravis magistratus, qui ne quando tarditate insimuletur, vel in publicam essedam ascendit.

Hic, eodem compulsus timore, testis causae invenitur, et ipse tribunalis ianitor. Hic saepe miles commode stat, suusque superior pedes atque moleste manet incuriosae ac male a viatoribus mulcatus.

Est equidem saeculum, ob tot inventa, multis laudibus dignissimum, at quot si-

mul incomoda, atque aerumnis subiecta!
Hinc probe dicas:

*Qualibus in tenebris vitae, quibusque periclis
Dexitur hoc aevi!*

**


Antequam vero ad alia narraturus pro-gredior, tu, candide lector, me, uti video, plurimis verbis premere cupis, atque amice contendis, dicens: Quis est hic prin-ceps Oddo? Estne forte ille, qui Adelaidem, Segusii marchionissam, in uxorem duxit, atque ita Allobrogici principes Italine claustra sibi primum aperuerunt?

Quid dicas? Nimis procul progrederis. Oddo hic filius fuit Victorii Emmanuelis secundi, frater Humberti regis, itemque Victorii Em. III. patruus. Hic autem acer rimo ingenio donatus male omnino corpore habitus, miserrime vixit, et vix vigesimum annum ingressus vitam finivit. Ipse « variis avido satiatus pectore musis » miram sui memoriam virtutibus atque studiis dedit. Ad haec domi apud patrem suis audax futura praedicebat, et ut Vergili carmina mutuem, « aperuit futuris ora, ... Dei iussu non unquam creditus ». Aequo animo graves rerum conversiones et corporis imbecillitatem pertulit, et tanta fuit in miseros humanitate, ut se ipsum ultro negligeret. Genuae omnibus flebilis piissime decessit.

Taurinenses eius honori atque memo-riæ hunc vicum dedicarunt.

(*Ad proximum numerum.*)

SUBALPINUS.



ANNALES

Parisiense de pace concilium.

Res, quae praecipue adhuc essent definienda ad pacis, ut ita dicam, ordinem constituendum summae supremorum administratorum praefectureae delatas

in superiore recensione nostra nunciavimus. Quae quidem de locis circa Sarre flumen ita disposuit, ut fodinarum illic exstantium proprietas Galliae cederet, civile vero imperium Nationum Societati. Post annos huiusmodi regiminis decimum quintum, incolis per populiscitum ius fiet definitum gubernium sibi decernendi; quod si inde voluntas in gentiliciam ditionem redeundi manaverit, Germaniae apud Galliam, quae interim ad belli damna resarcienda eas tenuit, fodinae ille erunt redimendae. De regione autem Schlewig-Holstein cautum, ut incolae pariter populisci aperiant, utrum Germaniae, quae ipsam regionem iam sibi adnexuit, an Daniae supremam moderationem malint.

Nihil denique restabat, quam ut de Itallicis vindicationibus legati consentirent. Constat iamdiu apud omnes inter Angliam, Galliam, Russiam et Italianam pactionem anno MCMXV initam fuisse, — quae secreto Londini condita fuit, ideoque *Londinense pactum*, nuncupata vulgo est, — de restituendis Italicae genti terris iampidem Austriaco regno addictis, inter quas Istrianam peninsulam ac Dalmatica litora. Constat item Flumanam civitatem, in Liburnico sinu positam, historia et lingua Italicam et ipsam, vix disiecto Austriaco regno, libitum suum sollemniter edixisse cum patria antiquissima ac sanctissima parenti sese iterum coniungendi. Atqui fama imprimis vagatur de contradic-tionibus in Parisiensi conventu exortis, opera praesertim Wilsonii, Americanarum septentrionalium civitatum praeside, circa loca Italica danda; mox de studio conciliantis formulae ad rem statuenda sermo fit; dumque dicitur, quaestio paene iam profligata, en Wilsonii ipsius ad populos praedicatio, per quam, vi omni Londensi pactioni adempta, — quippe privati iuris, et ab immutatis circumstantiis nunc sublata, — Flumana civitas, neque una ipsa, Italica denegatur. Haud facile dictu est quam intime animum integrae Italicae nationis Wilsonense hoc improvisum editum percusserit; videbat enim fructum tantorumque cruciatuum sacrificiorum-

que in summum discrimen miserabiliter adductum, seque alienae eique externae voluntati iniuriouse subactam. Neque fieri poterat, quin Italica legatio a Parisiensi conventu statim inde secederet, eo etiam fine, ut publicum Italicum coetum legibus ferendis sententiam de hisce eventibus rogaret. Et coetus amplissime, uti par erat, administris suis est suffragatus, populo-rumque, qui Italici fuerunt et sunt, unionem cum Italico regno confirmavit.

Interim Germanica legatio ut hostium proposita acciperet de pace ferienda Lutetiam Parisiorum hodie pervenit. At, absentibus Italisch, licebit ne ea exhibere? Quin etiam numne Germani ea tamquam rata habebunt? Res proculdubio necopinatarum sollicitudinum et periculorum plena est: quae cito Deus avertat!

**

Civile in orientali Europa bellum.

Interea civile bellum per Teutonicum quondam imperium et in Russia debac-chatur.

Hungaricam publicarum rerum effra-nam conversionem Bavaria consequuta est. Quamquam hinc gubernium haud est omnino destitutum; quinimo, Monachio Bambergam translatum, copiis instructum in urbem caput redire valuit. Brevi vero iterum armata manu expulsum est. Hodie nunciatur cum Borussis coniunctum, iam in eo esse ut rursus Monachio potiatur.

Hamburgi, Brunswick, Bochi operario-rum seditiones exarserunt cum sanguinis effusione; itemque Dresdae, ubi Nauring, ipse Saxonum bellicarum rerum ad-minister, traditur crudelissime fuisse interemptus: nempe in Albim flumen a ponte proiectus, dumque ripam desperanter attin-gere nititur, ballistarum ictibus occisus.

Ex Hungaria, contra, referunt Rumenos in *bolscevikarum* agmina offensionem suscepisse, eamque non sine successu, si Bela Kun, iudeus ille Hungaricorum *soviet* praeses, suos ad extrema conclamauerit.

Neque meliora ab humana natura de-generibus illis in Russica gentilicia civitate contingere videntur. Si enim Odessa urbe potiti sunt, Vilnam a Polonis redemp-tam viderunt, et Omskum a Siberianis, qui magnis itineribus antecedere in dies feruntur.

Kal. Maiis MCMXIX.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Lectores mei humanissimi, qui, pro una sua naturae bonitate, nauci haud faciunt quascumque has notas, quas singulis mensibus ipsis ceterisque subiicio, modum obtulerunt per quem non ego, sed ipsi hodie loquantur. Quorum munera refe-rens, amplissimas de otio mihi concesso gratias habeo, eoque magis quod occasio-nem praebuerint, ut, calami ego opifex, inter opifices laboris festum celebrare tan-dem aliquando possem.

Fuit igitur socius, qui, iis perfectis quae abhinc menses duos de cura tractandi horologii docui, ab solarii horologio a Cassiodoro descripto (lib. I, ep. 45) dicendi initium repetens, **horologium rotis circumactum** cum illo conferre voluit, et hoc hisce ver-bis exposuit: « Operae pretium est horolo-gium miri artificii instrumentum e ferro chalybeque conflatum, accurata inspectione intueri. In huiusmodi machinamento dentatae aliquot rotae, striato axis verticillo intericto mutuo commissae ac foedera-tae, gravibusque suspensae ponderibus, in orbem sensim sine sensu volvuntur. Ferrea in media columella subtili haerens filo, tenuique lamina transversa in capite inter-secta, atque exemplibus plumbeis glandibus hinc atque illinc ex ea pendentibus librata, totius moderatrix temporis, in sub-iectos orbes incidit; binisque ligulis in earum dentes, quasi fraenis ex intervallo innectis rotas in gyrum raptas, descripta

ad numerum mora in singula pene momenta sustinet et relaxat. Tandem ubi princeps rota penitus circumvoluta est, cavam in crenam decidente sufflamine, libramen-tis ad terram festinato cursu recellen-tibus, illico solvitur machina, malleumque versatilem incitato verbere in tintinnabu-lum ex aere campano fusum impellit, quo-que ictus malleus infligit, totidem horas tundendo designat».

Pulchre equidem, bene, recte; quam-quam non satis recens huiusmodi machi-namenti ratio.

**

Alter, qui de barbae vectigali legit, me poposcit quid putarem fuisse futurum si regii satellites, **barbae illi singulari** occur-rissent, quam exposuit suo tempore Leo Sanctius, scriptor e Societate Iesu. Haud inveni, fateor, responsum; ideoque liben-tius sanctianam paginam transcribo, sa-pientiores invitans ad quaestionem eno-dandam.

«Una - sic ille - sacerdotis barba, ceu novella Pythia sine voce ac sensu inaudito quodam genere metamorphoseos oracula profundebat. Etenim si minus prospere eventurum erat id, de quo quaerebatur, statim barba illa decretoria, quasi calamitatem miserata, subito squallore obsita, immani amplitudine succrescebat ad pe-ctus: vultus caprinae antiquitatis plenus agrestis ac tristis, non secus ac de acetō et labrusca, sinapi et absynthio vicitasset, futuris cladibus explicato barbatio, seu tragico syrmate praeludebat. Barbam illam non Dodonaeam querum, sed pilosum Arcadiae nemus credidisse, Papposilem, non Aegipanis alicuius umbraculum, syl-vestre hospitium pensilis entusiasmi. Contra vero, si fortunatus exitus votis supplicantium responsurus erat, ecce tibi, nullo tonsore, praerasa continuo barbula fatidica, fastigiata molliter in conum, levis ac nitida Nitelam nitoribus antevertebat, et amaracina madens aquula, totam spi-rans Arabiam, felicitatis futurae gaudiosa titillatione divinacula argutabatur».

Mirum profecto!

Locosa.

Malus pictor dominum efflagitabat, vel-let conclavis sui maximi parietes dealbare, quas ipse postea pingeret. Cui ille:

— Tu prius pingue; mihi deinceps curae erit illas parietes dealbare!

Coram tribunal latro quidam in eo est, ut a iudice carcere multetur; utque cri-minis excusationem obiciat:

— Pro certo habeas - inquit - contra voluntatem prorsus me furtum fecisse.

Cui iudex:

— Atqui tibi persuadeas identidem contra voluntatem tuam te iri damnatum.

**

Aenigmata.

I (vulgo *Rebus*)

R - E - G - N - U - M
de B tur

II

Si consonantem musicae
Notae placebit addere,
Repente habebis triticum,
Unde in pulmentis utimur.

(Aenigmata in superiore fasciculo propo-sita his respondent: 1] *Do-la-re*; 2] *Thuri-bulum*).

IOSFOR.

LIBRORUM RECENSIO

De Censuris latae sententiae quae in Codice Iuris Canonici continentur.

Quando Pius IX s. m. per Bullam *Apo-stolicae Sedis moderationi* (d. d. IV Idus Octo-bris MDCCCLXIX) ecclesiasticas censuras *latae sententiae* minuens, eas quasi unico codice poenali complexus est, Theologi et Canoni-stae merito Summo Pontifici uno ore plau-serunt. Antea enim censurae in famosa Bulla *Coenae* praesertim continebantur, sed et in aliis Apostolicae Sedis documentis; atque et numero et gravitate plures erant. Ast non unicus absolute mansit poenalis codex eccl-

sasticus Bulla *Ap. Sed.*, nam et aliquae cen-surae l. s. in S. Conc. Trid. contentae vim suam habuere eadem Bulla *Ap. Sed.*, et aliae tractu temporis accessere censurae per de-creta exinde edita, praeter illas quae ferenda esse sententiae.

Nunc autem non sic. Si quae poenae in Codice non habeantur expressae «spiritualis sint vel temporales, medicinales vel, ut vo-cant, vindicative, latae vel ferendae senten-tiae» abrogatae sunt (Can. 6, n. 50). Latae sententiae poenas Codex ponit in Parte III, Lib. V; et ita clare canones eas annuntiant, ut si quis ad eas explicandas manus admoveat, timere debeat ne fumum pro fulgore faciat.

Attamen ipsa canonum claritas, non im-pedit Doctorum commentaria, et sicut circa Bullam *Apost. Sed.* innumera, ut ita dicam, pro-diere commentaria, ita eveniet circa Codicis canones. Est hoc insitum hominis actionibus, quae sub aliquo respectu consideratae, di-versae sub alio inspectae apparent. Omnis ideo difficultas, etiam publicato novo Codice, sublata non est; ideoque universa scientia canonica in dies solidioribus studiis pulchrior locuplesque evadit. Contrarium si quis op-iaretur, erraret (WERNZ, *Ius decretalium*, f. I, n. 265).

Itaque iam prodierunt commentaria sive in universam Codicis molem, sive in quamdam eius partem, praesertim in eam, quae censuras l. s. respicit. Istorum est opus R. D. Johannis Cavigioli,¹ quod lectoribus *Almae Romae* an-nuntiamus, aliquid de eo scribentes.

Opus in duas dispergitur partes sive *Dis-putationes*, quarum prior generatim de cen-sura, eiusque auctore et subiecto atque obiecto pertractans, sex in capitula dispergita est, scilicet: 1. *Quid sit censura*; 2. *Quinam cen-suras ferant*; 3. *Quinam censuris percellantur et eximantur*; 4. *Quidnam censuris percel-latur*; 5. *Quidnam censura efficiat*; 6. *Quo-modio censura cesset*. Altera vero censuras l. s. in specie, quas Codex continet, explicat. Haec item *Disputatio* tria habet capitula pro tribus censurarum speciebus: *Excommunicati-*

¹ De Censuris latae sententiae quae in Codice Iuris Canonici continentur Commentariolum digessit JOHANNES CAVIGIOLI, archipresbyter S. Mauritii a Clivo. — Augustae Taurinorum, 1919, in-16, p. 170.

tiones - Interdicta - Suspensions; quae, cla-ritatis gratia, si secundum excipias, in se-ctiones dividuntur. Unde habes Capitulo I, Sect. I. *Excommunicationes specialissime re-servatae Sanctae Sedi*; II. *Excom. specialiter reservatae S. S.*; III. *Excom. simpliciter re-servatae S. S.*; IV. *Excom. reservatae Ordinario*; V. *Excom. nemini reservatae*. Et Capitulo III Sect. I. *Suspensiones reservatae S. Sedi*; II. *Sus-pensiones reservatae Ordinario*; III. *Suspen-siones nemini reservatae*.

Prae primis notamus elegantiam nostri in sermone, quo cl. A. opus scripsit, concinne et synthetice omnia exponens, prout de stylo quo Eñus Card. D'Annibale suam exaravit *Summulam Theol. Mor.* observatum fuit. Ma-tteries autem Commentarii non est inferioris meriti; nam utraque Disputatio, quamvis in brevitatem non peccet, claritate non caret. Perspicue enim et auctoritatibus Iuris pruden-tium abunde utens, propositum singulorum obiectum canonumque illustrat, addens, ubi opus fuerit, *notam* sub paginam.

Ab spatio coactati, nequimus de omnibus heic dicere. Opportunam ducimus notam § 4 additam, circa perpetuitatem legum Episcoporum, secus ac antea DD. opinabantur.

« Ideo si quas leges vel censuras Episcopus generali edicto quandcumque tulerit, has a iure dicemus et perpetuas, quum lex non a sedente sed ab officio, quod utique natura sua perpetuum est, robur obligandi accipiat... » (pag. 13). Item opportune indicat (§§ 46 sqq.) innovationes in hoc censorum negocio a Codice lata, ceu de validitate re-scriptorum, quae forte assequutus fuerit cen-sura irretitus et de nulla inhabilitate ad quod-vis munus, gratiam, dispensationem pro cen-surato ante sententiam declaratoriam, etc.

Sed et sententiis auctorum, uti diximus, sive antiqui sive nostri aevi, sive de theo-logia morali, sive de iure canonico cl. A. suum exornavit opus, ita ut dum instruitur, dele-ctetur lector. De his auctoribus, numero CVI, index habetur ad calcem operis, alphabetico ordine dispositus.

Quapropter opus probantes, nostra qui-dem sententia, omnibus studiosis iuri cano-nico et morali theologiae, illud commendamus.

I. FAMELI.

12)

AD "CARCEREM",

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

AMB. Qui rumor! Fortasse.... Procul [dubio]....
EUSEB. ² Rector!
RECT. Quid novi?
EUSEB. Rerum quae novitas!...
RECT. Veri quid possum vobis expiscarier?
Adsunt pueri? ³
EUSEB. Rector, vide miraculum!
RECT. Adsunt! Deo grates actae sint quam [maxime!]...
Adeste hic omnes illico satellites,
Et opus vestrum fortiter resumite,
Et artem positam exercete veterem;
Omne nam tempus veniae pertransiit.
Redite ad opus nervis nunc et ferulis!

SCENA VIII

IUVENES introgrediuntur modesti et hilares et locum suum silentes occupant. Tunc novissimus adest IOANNES, qui RECTORÉM reverenter salutat, laetabundus deinde alloquitur.

IOANNES. Tuos puerulos dedit quos auctoritas, Paucis post diebus tibi restituo. Quam commutati, quam boni, tu vi- [deris. Eos sed tibi nunc commando ma- [xime, Amanter tractes habeasque postulo... Enim fuere, sed perversis artibus Malisque acti forsitan parentibus; Forent prudentes, nacti si pruden- [tiam. Amantes divae relligionis purius, Deumque in primis didicissent ala- [cres... Haberent vitam potius atque sanctius,

Tua nec egerent illorum custodia, Sed usque mites lenes et ingenio, Regi cui servis, civibusque crescenti [rent... Nec essent omnibus damni periculo, Nec ibi tristes vapularent horride, Suisque horribilis vindicta in poste- rum... Meum tene exemplum, Magistri potius, Qui caritate dicit nos in patriam, Eosque duces omnes ad arbitrium... Et vos quos diligo, valete, amiculi, Meique semper orando este memo- [res, Meo vos amanter in corde confero. EUSEB. Duo sed, pater, desunt, non invenio.... IOANNES Nec unus equidem! Numerate me- [lius. EUSEB. Abest vicesimus cum quinto numero... PUERI Erant at nobiscum nuper in ordine... EUSEB. Desiderantur nunc... Volitarunt liberi! IOANNES Hic adsunt omnes, quaeritate atten- [tius, Deus sua namque adstitit vigilantia! RECT. Hic sunt! Erant precantes in sacrario; Numquam quod prorsus accidebat [antea.... (*Tunc unus e pueris, paululum ante suos pro- gressus, lacrimis obortis haec loquitur:*) Adest nunc tempus nobis lacrimabile, Quo nobis, Pater, valedicis ultimum... Dies isti tecum fuere labiles, Et exactorum omnium carissimi. Tuus sed vultus sculptus in pectoribus Erit nobiscum saeculis labentibus. Enim quis unquam te locutus dulcius? (Ad proximum numerum).

¹ Duo pueri ingrediuntur.

JOSEPHUS DR. FORNARI, SPONSOR.

² Ad fenestram accedit.

³ Et ipse prope fenestram.

³ Hic fit silentium et exaudiuntur pueri dulce ca- nentes.